

Cap. I.

De Temperamentis & Indole hominum.

§. I.



Quidem neminem fugit, multos, imo quam plurimos, de temperamentis & indole hominum præcepisse in univ-
sum: adeo ut integras eiusmodi scriptorum bibliothec-
as condere res foret haud difficillima. Adi modo
præcipuos, ab ultima antiquitate ad nostra usque tem-
pora repetitos, doctores atque scriptores, inter quos fa-
cile eminent apud Hebræos & Arabes illi *Philones* Judæi,
Farchii, *Avicenna*: apud Græcos vero atque Latinos, di-
vini *Platonis* illi & *Pythagora*, *Aristotelisque* asseclæ, illi *Hippocrates*, *Galeni*, *Theo-
phrastii*, *Lucretii*, *Cicerones*: recentiorum vero illi *Fabricii*, *Folleni*, *Ripenses* *Lemmii*
Zirixei, de *Paramato*, *Fernelli*, *Ambiani*, *Riolani*, *Montii*, della *Poria*, *Baldi*, *Huar-
thes*, *Neuhusii*, *Morini*, *Claramontii*, *Helvetii*, *Richerii*, *Franckenbergii*, *Pratorii*, &
Stahlii celeberrimi: Philosophi denique omnes ac medici, qui operis aliquid per-
fectioris in sua arte unquam ediderunt. Quorum prolixum vide catalogum in
dissertatione *Jac. Car. Speneri*, summi illius Theologi filii, quam sub Præsidio ce-
leberrimi *Fr. Buddæi* habuit de *historia temperamentorum*, *Hala* 1704. Ast qui si-
gillatim de huius alteriusve vitæ generis aut singulorum hominum temperamentis
ac indole commentati fuerint, uti luculentiorum facile lectoribus utilitatem præ-
bent, quippe penitus longe & clarius doctrinæ suæ veritatem exponentes; ita
multo etiam minor eorum numerus deprehenditur, adeoque nondum exhaustus
eiusmodi labor, ut præter tentamina quorundam virorum eruditione clarissimo-
rum invenire liceat fere nihil.

§. 2.

Eminent inter hos

a) *Thomasius ille Christianus*, qui in *historia Sapientiae ac stultitiae*
(*Hist. der Weißh. und Thorheit* Part. III. a. 1691.) indolem ac temperamenta
Sauli Regis Israelitarum, *Davidis*, atque *Salomonis*, ex rebus ab iisdem gestis sacris-
que in litteris consignatis elicuit.

Sua sibi propria ratione in tres hominum communes propensiones dispescit
indolem aut temperamenta, quibus rationalem, quem dicit, amorem adjungit, &
singularum propensionum in singulis hominibus rationes & gradus supputare &
exin